

**2002-03-01 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Jhabuensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

**JHABUENSIS\***

**AB ECCLESIIS INDORENSI ET UDAIPURENSI QUODAM DISTRACTO  
TERRITORIO NOVA CONDITUR DIOECESIS JHABUENSIS APPELLANDA**

Ecclesiae universae ministerium ab ipso Domino Nobis demandatum omni diligentia explicare festinamus, ut eiusdem salutaria beneficia et paecepta omnia loca et efficaciter gentes contingent. Ideo Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Quocirca sententiae accedentes Congregationis pro Gentium Evangelizatione, comprobante quoque Venerabili Fratre Laurentio Baldisseri, Archiepiscopo titulo Diocletianensi atque in India Apostolico Nuntio, haec pro Apostolica Nostra potestate statuimus et decernimus: territorium districtuum civilium populari sermone appellatorum Jhabua, Ratlam, Mandsaur, Neemuch necnon municipium vulgo nuncupatum Sardarpur Tahshil in districtu vocato Dhar, a dioecesi Indorensi abstrahimus atque municipium quod dicunt Thandla Tahshil in districtu appellato Jhabua, cum quattuor paroeciis, scilicet Thandla, Dungripada, Jhapandara et Badi Dhamni a dioecesi Udaipurensi separamus. Inde novam dioecesim constituimus, quae *Jhabuensis* appellabitur seu populari loquela Jhabua. Novam dioecesim suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Bhopalensi atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cathedram episcopalem in templo Beatae Virginis Mariae dicato, in urbe sito quam Meghnagar vocant, locamus. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Laurentium Baldisseri, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die prima mensis Martii, anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 8, pp. 509-510